

rint, ex eisdem lib. cap. 23. non difficulter probatur, ubi sic legitur de Josia rege & piensissimo & jam recentis posteriore: *Excelsa quoque quæ erant in Jerusalem ad dexteram partem Montis offensionis, quæ edificaverat Salomon rex Israel Ahabovi idolo Sidororum, & Chamos offensionis Moab, & Melchom abominationis filiorum Ammon, polluit Rex.* Eisdem lib. c. 18. Ezechias narratur dissipasse excelsa, contrivisse statuas, succidisse lucos, & serpentem æneum confregisse: *siquidem usque ad illud tempus filii Israël adolebant ei incensum.* Dicitur quispiam, & reges & judices Ezechiam antecedentes omnes impios, omnes impœnitentes, omnes æternis addictos supplicij, quia non contriverunt quæ conterenda repetit Ezechias? Asserunt Massen cujus pœnitentia 2. Paralip. 33. & describitur & probatur, impœnitentem, quia non destruxit altaria quæ fecerat in duobus atrijs templi Domini, à Josia demum cap. 23. v. 12. 4. Reg. destructa? Si dicas ejusmodi reges propterea excusandos, quia vel statuas & idolorum fana evertentur quidem ac polluerent, sed non penitus complanaverunt, id necessarium haud esse dicentes: vel, evertendis omnino simulachris, templis & altaribus idolorum incubuisse, sed non potuisse quod cupiebant perficere: quid, cur de Salomone

idem asseramus, prohibeat? Si enim jam senio partim, partim voluptatibus & delicijs enervatus, ea quæ prius ædificaverat, parasset destruere, tumultuatus fuisset populus, & Salomonem menti saniori restitutum, quasi delirum senem impedivissent. Ipsi principes & rerum gerendarum administri, quibus falsæ religionis eliminandæ cura fuisset demandanda; vel connivissent, vel obstiterunt. Clamores comminationes, indignationes mille faminarum executionem tardasset, infinita servorum alienigenarum copia, ministrantium uxoribus Salomonis, (Quis enim ambigat singulas ex sua gente & genere adscivisse servos & ancillas?) suo quasi *per se* libi vendicasset illa tuorum Deorum delubra. Quod ergo excelsa quæ edificaverat Salomon, quod idola; quod idolorum delubra non evertit; saltem non complanavit; hinc factum arbitramur quod metu obtituri populi non valuerit, quamvis voluerit. Atque his pro Salomonis pœnitentia & salute sic dictis & explicatis, concludo, reservans interim certum definitumque judicium illi cui omnia in futurum servantur incerta. Ipsi gloria in sæcula,

*Habita in Collegio Marchianensi an 1611.  
die 20. Decemb.*

PIETATE ET PRUDENTIA  
VENERABILIBUS VIRIS DOMINIS  
SENATUS BRANIENSIS  
S. D. FRANCISCUS SYLVIUS  
A BRANIA COMITIS.



T orationem istam, DD. V<sup>RES</sup> nomini vestro dicarem suasit, non solum quem vobis, quam patriæ debeo, affectus & observantia; sed etiam quod literatorum apud vos copiosa germinet multitudo: adeo ut qui ex vestris Houdanas, à disciplina & eruditione nunquam satis laudatas, Montensium scholas frequentarent, in iisque proficerent, ab annis ferme 30. nunquam defuerint: ut interim de illis fileam quos Athenes, Binchienses, aliæque laudabiles Athenæ doctos dederunt. Accipite igitur S. Thomam Aquinatem, Doctorem verè Angelicum & Commune, omnis literaturæ delicias, fontem Doctorum, principem Theologorum, Philosophorum Coriphæum, Scholasticorum splendorem, Hæreticorum malleum: & à concive vestro oblatum munusculum æqui bonique consulite, non quantitate operis illud merentes, sed ejus qui laudatur merito, laudantisque affectu. Valete.

*Duaci è Seminario Episcoporum Provincia Cameracensis.*

ORATIO QUARTA.

*Quæ est prima in laudem sancti Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici & Communis.*



ngelicus noster, imò & vester, Auditores; Thomas Aquinas, electus ab utero, sanctus à puero, patri promissus à bono, datus ab Optimo, sanctitatis & doctrinæ suæ luce hodiernam latificat felicitatem: digne enim in memoriam vertitur hominem, qui ad gaudia transiit Angelorum. Ejus doctrina & veritas, quam non ad pectus in rationali forinsecus scriptis, sed mente conceptam opere complevit; excedit quidem, multumque

supereminet humani eloquij facultatem: & inde oritur difficultas sandi, unde adest materia non tacendi (verendum enim, ne dum sermo nequeat non esse procul ab ejus dignitate remotus, ad laudes ejus addidisse aliquid, decerpisse sit:) Gaudemus tamen, quod ad eloquendum tanti viri præconium impares sumus; & cum sanctitatis ejus ac doctrinæ celsitudinem promere non valeamus, sentiamus nobis bonum esse quod vincimur. Si enim vel stilo hominis vel facundia oris possit